

*Darius* enim *Nothus* mandatum Regis *Cyri* haecenus antiquatum novo edicto repetiit, ita ut adminiculantibus & strenuè urgentibus Prophetis *Chaggæo* & *Zachariâ* anno regiminis ipsius sexto templum fuerit absolutum, quod expressè testatur *Esdraus*. *Nothus* autem dictus est, quod non ex legitimâ conjugè *Damassîâ* *Xerxis* matre, sed *Cosmartidene* *Babyloniâ* concubinâ fuisset natus, si *Hieronymo Henninges* credimus.

Hujus filius fuit *Artaxerxes Mnemon*, cui *Plutarchus* CCCLX. concubinas tribuit, nempe ut hoc grege, quomodo *Curtius* loquitur, ad numerum dierum anni accederet: ex quibus CXV. filios procreavit, sed qui benedictionem & Prophetiâ Psalmi CXXVII<sup>imi</sup> non impleverunt, neq; attenderunt. Vile enim nomen paternum apud tot numero filios fuit, ut, quorum praesidio tutus etiam adversus hostes esse debuerat, eorum insidiis circumventus tutior ab hostibus fuerit quàm à filiis. Ex quinquaginta liberis, ostenti genus! nemo inventus est, quem aut paterna majestas, aut senis veneratio, aut indulgentia patris ab immanitate parricidii revocaret.

Cùm itaq; *Artaxerxes* rex quàm pater felicior ὡς ὁ λύπης καὶ δυσθυμίας decessisset, *Ocho* tradita est regni hereditas, qui nec sanguinis, nec sexus, nec ætatis misericordiâ permotus totam regiam cæde cognatorum & strage principum complevit, scilicet ne innocentior fratribus parricidis haberetur. Hic ab Eunucho *Ægyptio* *Bagoâ* interemptus, in frustra dissectus & felibus projectus fuit, & ex femoribus ejus gladiatorum facta manubria, ut ipsius animus ad cædes propensus repræsentaretur.

Post quem tribus tantùm annis regnavit *Arses* seu *Arsames*, & tandem *Darius Codomannus*, altera nostrorum Declamitatorum materia, quiq; ante multa sæcula unà cum *Alexandro Magno* CXXXIII. scriptorum pennas fatigavit & paginas implevit, uti sollicitè computavit in Commentario Curtiano *Johannes Freinsheimius*.

Et